



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De// Beneficiis// Amplissimus,// Et Doctissimus

Garcia, Nicolaus

Coloniae Allobrogvm, 1618

Cap. 2. De priuilegio fori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98538](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98538)

De privilegio fori.

SUMMARIA.

Est alia utilitas ex beneficio, privilegium fori, nam hodie clerici minorum non gaudent fori privilegio, nisi beneficium habeant, licet antea gauderent, num.

1. & 2.

Clerici minorum habentes beneficium gaudent privilegio fori, etiam si clericatum renuntiaverint, & beneficium sit exiguum n. 3. & licet non deferant clericalem habitum, n. 4. etiam stante constitutione Sixti V. de habitu & tonsura, n. 5. & 6.

Ad hunc effectum sufficit habere beneficium de facto, & sola poss. n. 6. sed an sufficiat solus titulus beneficii, & ius in re n. 8. & que ad 15.

De habentibus pensionem an gaudeant d. privilegio fori remissus, n. 16.

Quamvis clerici minorum non gaudeant d. privilegio fori, non tamen impediunt Episcopus contra eos procedere, & punire, num. 16. ubi ponitur declaratio S. Cong. que declaratur n. 17. & 18.

Clerici minorum non habentes beneficium, & c. licet priuenter fori privilegio, non tamen privilegio canonis, num. 19. & contraria sententia Solis reprobat, num. 20.

Est alia utilitas ex beneficio, & proveniens, nempe privilegium fori, nam licet de iure antiquo clerici primæ tonsuræ, & in minoribus constituti, tam in civilibus, quam in criminalibus gauderent privilegio fori, & essent exempti à iurisdictione seculari capit. clerici. capit. cum non ab homine. de iudiciis, capit. secundo. de foro competent. glossa in capit. 11. vers. clericus. de clericis coniugatis in sexto, & ibi Doctores, Felinus in capit. Ecclesia Sancti. Maria. de constitution. numer. 110. Covarruvias pract. question. cap. 32. numero 1. qui ait moribus tamen receptum esse, quod non possent uti præscriptione fori in civilibus, & supponit Ioannes Gutierrez de iuramento confirmatio. prima parte cap. 17. numero 12. hodie tamen ex decreto Sancti. Concilij Trident. sessione 12. de reformatione cap. 6. fori privilegio non gaudent nec in civilibus nec in criminalibus, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiant, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versentur, & comprobatur. leg. prima. titulo quarto. libro 1. recopilationis, tradit Salcedo in praxi crimin. cap. 62. num. 9. Ioannes Gutierrez supra numero 13. & Doctor Paz in praxi secundo tomo, secundo præiudicio, numer. 6.

Et huiusmodi clerici primæ tonsuræ, seu minorum & ordinum beneficium habentes gaudent privilegio fori in civilibus, & criminalibus, etiam si clericatum renuntiaverint, & etiam si beneficium sit exiguum, & tenue, ut in sequenti declaratione S. Congregationis Concilij super dictum c. sextum. Quidam clericali caractere insignitus beneficium Ecclesiasticum obtinuit, cui postea animo uxorem ducendi una cum clericatu renuntiavit, deinde non sequuto matrimonio clericalem habitum reassumpsit, & aliud beneficium exigui redditus adeptus est, dubitatur, an gaudeat privilegio fori. cong. 11. Iun. 1587. censuit gaudere, quia cle-

ricali privilegio renunciari non potest, cum in fauorem totius ordinis introductum sit cap. si diligenti, & ibi glossa de foro competent. doct. in cap. tuæ. de apostatis. RRolan. conf. 4. vol. 1. n. 9.

Et etiam si non deferant clericalem habitum, & tonsuram, nam in habente beneficium id non requirit Concilium, sed solum in inseruiente alicui Ecclesiæ, vel in seminario, aut schola, vel vniuersitate versante, ut constat ex ipso contextu Concilij, & illa disiunctiua, aut, iuxta quod est accipienda, d. lex prima recopilationis, ut recte docent Ioan. Gunterrez pract. quest. lib. 1. quest. 7. & Salcedo supra in nouissima editione, & post hæc González ad reg. mensum gloss. 5. §. numero 6.

Quod procedit, etiam stante hodie & constitutione 30. Sixti V. de habitu, & tonsura, ex qua non deferentes tonsuram, & habitum clericalem ipso facto sunt priuati beneficiis, ut infra 7. part. cap. 1. numer. 18. nam adhuc gaudent & privilegio, dum de facto non sunt priuati, sed retinent beneficium, & sunt in possessione illius de facto, ad hunc enim effectum sufficit habere beneficium de facto, & sola possessio seu intrusio in beneficio.

Sed an è conuerso sufficiat habere & ius in beneficio sine possessione difficultas est, & quidem certum est, non sufficere ius ad rem, nam habens solum ius ad rem, non potest dici habere beneficium ut vult Concilium, & dicitur infra tertia part. cap. 1. n. 84. quamvis coadiutor inseruiens Ecclesiæ gaudeat privilegio, ut dicitur infra quarta part. capit. 5. 13. dub. num. 98.

Difficultas est de habente titulum & beneficii, & ius in re, & videtur gaudere privilegio fori, ut in terminis similis constitutionis Clementis VII. emanatæ ad instantiam Venetorum tenet Gigas de pensio. quest. 94. num. 12. quia in beneficalibus non attenditur principaliter possessio, & sed titulus. cap. 9. ex frequentibus. de institutio. & regula beneficium. libro 6. Boerius decis. 24. num. 8. & facit quod tradit Cardin. in Clem. ut & qui. §. illi vero, num. 10. & 11. de ætate, & qualitate, & is vere dicitur habere beneficium, ut dicitur d. cap. 1. tertia part. num. 92. ergo & ideo ait Flam. Parisius de resignatione benefic. lib. 7. quest. 1. num. 47. fuisse & resolutum in S. Congregatione Concilij die 16. Iul. 1587. beneficiarium gaudere privilegio fori ante adeptam possessionem.

Contrarium tamen, nempe, & quod habenti & tonsuram dicenti se habere beneficium, non sufficit probare titulum beneficii, ut gaudeat privilegio fori, nisi etiam probet illius possessionem, & quod ita iudicatum fuit in vrbe ait Farinacius in questionibus criminal. questione octaua, numero 45. & tradit Bayardus in additio. ad Iulium Clar. in libro quinto questione 36. numero 14. pro quo videtur facere, & quod decentia, quæ consideratur in proposito, ut habens beneficium non debeat per iudicem secularem iudicari, non tam apparet ex titulo, quam ex possessione beneficii, at Marcus Ant. Gemien. in praxi Archiepiscopalis curiæ Neapolitane & cap. 7. num. 9. inquit, declarasse S. Congregationem, quod si collatio beneficii est valida, & beneficiatus non fuit adeptus possessionem propter intrusum, contra quem litem mouit, gaudet privilegio fori, quæ declaratio habetur inter declarationes & dicti cap. sexti his verbis: An clericus prima tonsura præsentatus ad capellam sacerdotalem, qui super tali præsentatione obtinuit à Papa nouam provisionem, etiam in vim motus proprii possit in suis causis civilib. gaudere privilegio fori, quævis pos-

sessionem beneficii non habeat propter intrusum, contra quem litem mouit. congreg. censuit gaudere. 16. Iulij 1587. quæ est declaratio relata per Flam. Parisium supra.

15 De habentibus vero pensionem tñ an gaudeant dicto priuilegio fori, diximus supra prima. p. c. 5. nu. 70. ubi inde.

16 Quamuis autem clerici tñ primæ tonsuræ, seu minorum ordinum, non gaudeant priuilegio fori, ita ut non possint declinare iurisdictionem iudicis secularis, ex dicto decreto Concilij, non tamen impeditur Episcopus, quin possit contra eos delinquentes procedere, & punire, ut S. Cong. censuit super dicto ca. 6. his verbis: Licet autem huiusmodi clerici in minoribus forum iudicis secularis, seu laici declinare nō possint ex hoc decreto, tamen Congregatio respondit istud decretū non ob stare Episcopo, quo minus iure suo in huiusmodi clericos delinquentes, si adhuc clerici permanent, possit animaduertere.

17 Cuius declarationis verba ibi tñ si adhuc clerici permanent, faciunt difficultatem, videntur enim insinuare, quod isti clerici possint renuntiare clericatum contra declarationem supra adductam numero 3.

18 Sed respondetur illa verba tñ esse posita ad excludendos clericos, qui facti sunt bigami, qui omni priuilegio clericali sunt nudati cap. primo de bigamis, in sexto, & etiam ad excludendos clericos coniugatos, in quibus non concurrunt requisita cap. primo de clericis coniugatis in 6. & Concilij, ibi vers. in clericis vero coniugatis, nam isti non censentur clerici, ut tanquam tales possint ab Episcopo iure suo puniri, cum nec etiam priuilegium canonis, si quis suadente diabolo 17. q. 4. retineam, ut per Tho. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 46.

19 Præterea, quamuis clerici primæ tonsuræ, seu minorum tñ ordinum non habentes beneficium, aut alias qualitates, de quibus ibi, priuentur fori priuilegio, ex d. decreto Concilij, nō tamē sunt priuati priuilegio d. canonis, si quis suadente diabolo, ut S. Congreg. Concilij censuit, super d. cap. 6. suis verbis: Clerici, qui in hoc decreto Concilij priuilegio fori priuantur, priuilegio tamen canonis non intelliguntur priuari. González 5. a nu. 7.

20 Vnde conuincitur sententia tñ Felician. de Solis. de censibus libro 2. cap. vltimo, numero 14. existimantis clericum in minoribus non habentem Ecclesiasticum beneficium iure nouissimo Concilij, non gaudere priuilegio canonis, quem post hæc impugnat González ibi dicens, idem sentire Emanuel Rodriguez in sum. 1. tom. cap. 80. numero 17. qui reuera id non sentit, sed potius tenet nostram sententiam.

CAP. III.

De immunitate & exemptione à gabellis, exactionibus & tributis.

S Y M M A R I A.

Clerici, etiam primæ tonsuræ, non coniugati sunt exempti de iure communi à gabellis, & tributis, licet non habeant beneficium, n. 1. secus ex l. regia. numer. 2. quæ stante ista utilitas ex beneficio provenit exemptio à tributis, n. 3.

Cum lex regia requiratur, quod actualiter habeat beneficium, non sufficit collatio sine possessione, nu. 4.

Lex regia magnam patitur difficultatem, quatenus non habentes beneficium astringit ad solutionem gabellarum contra ius canonicum, n. 5. nam ius canonicum generaliter loquitur de clericis, n. 6.

Consuetudo contra libertatem, & immunitatem Ecclesie non valet, nec ante illam legem costat fuisse talem consuetudinem, ut in ea fundetur n. 7. 8. & 9. nec consuetudo subsequatur releuat, n. 10.

Clerici beneficiati, seu alias gaudentes priuilegio immunitatis, & exemptionis, sunt exempti, etiam quoad exactiones, pro necessitatibus, & utilitatibus publicis, & communibus, n. 11. cum seqq.

In Concilio Lateranen. ult. non innotatur excommunicatio contra Ecclesiasticos soluentes posita per Bonifacium 8. nu. 16. & 17. nec innotatur decretum Bonifacii per Bullam cæna cap. 18. numero 18. cum sequentibus.

Quamuis de iure communi, communis sententia sit, tñ quod clerici etiam p. tonsuræ seu minorum ordinum non coniugati, sunt immunes, & exempti à gabellis, exactionibus, & tributis, & aliis oneribus huiusmodi, licet non habeant beneficium. Berach. de Gabellis 7. part. numer. 12. Guido Papa decisi. 385. Remigius de Gonni, de charitatis subsidio, qu. 64 & 65. Conarr. quæst. pract. c. 31. num. 9. Auendanno de exequend. mandatis 2. part. c. 14. nu. 30. Matienço in l. 11. tit. 10. lib. 5. recopilatio. gl. 1. nu. 4. Ioan. Medina. C. de restitutione q. 15. in princip. & Molina de iust. tomo 3. disputatione 67. n. 5. cum aliis. & probatur in c. non minus, & cap. aduersus de immunitate Ecclesiarum, & cap. quamquam de censibus in 6. & in l. 13. tit. 3. lib. 1. & l. 23. tit. 4. lib. 4. ordinamenti; tamen hodie ex l. 2. tit. 4. lib. 1. recopilat. tñ non sunt exempti à prædictis, sed contribuere debent, sicut laici, nisi actualiter habuerint beneficium Ecclesiasticum, & tradunt Matienço supra Olanus in concordia, & differentia iuris communis, & regij litera C. n. 21. Parladorus rerum quotidianarum l. p. c. 3. n. 16. Azeuedo in d. l. 2. & in l. 6. tit. 18. lib. 9. recopilationis. Lassarte de decima venditionis, c. 19. a n. 18. & Girona de Gabellis 7. p. n. 7. Humada ad Gregorium Lopez in l. 49. gl. 3. n. 4. & in l. 54. gl. 2. a n. 10. n. 6. p. 1. Ioan. Gutierrez pract. quæst. lib. 1. q. 8. Segura de Aualos in directorio iudicum Ecclesie. fori. 1. p. c. 11. n. 7. Solis de censibus lib. 2. ca. vlt. n. 13. Flores q. 21. n. 199. & Molina supra qui idem ait statutum esse in Lusitania. Vnde stante illa l. ista est alia utilitas ex beneficio proveniens, nempe tñ immunitas, & exemptio à gabellis, exactionibus, & tributis, & aliis oneribus huiusmodi, circa quod vide dicta supra 1. part. c. 5. n. 74.

Sed cum lex expresse requiratur, quod actualiter tñ habeat beneficium Ecclesie, non sufficit collatio sine possessione, secundum Lassarte, num. 23. & Flores supra.

Sed certe illa lex magnam patitur tñ difficultatem, quatenus prædictos clericos, non habentes beneficium astringit ad solutionem gabellarum, & tributorum, maxime eos, qui gaudent priuilegio fori iux. d. decretum Concilij, sess. 23. de reform. cap. 6. nam videtur clare aduersari iuri can. ubi sup. quod eximit ab eis clericos, & personas Ecclesiasticas, quales sine dubio vere sunt clerici primæ tonsuræ, vel minorum ordinum. Remigius de Gonni, & Io. Medina supra, quicquid dicant Lassarte, numer. 21. & Ioannes Gutierrez, ubi supra, & Angles in floribus theolog. quæstio. de restitutione & castigatiua quinta diff. & Ludou. Lopez instruct. conscientia primo tom. cap. 19.